

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XXXVI. Stricturae Ad Hist. Herford

urn:nbn:de:bsz:31-102564

eand. Pol. Per moleste sane ferebat Iohannes Sigismundus, quod Simoneta Episcopus Fulinacensis, tanquam Nuncius Apostolicus sibi inaugurationem Prussiae beneficiariam adeptus, obnunciasset, et propter suppressos Sambiae et Pomesaniae episcopatus palam contraxisset, Vid. Paul. Piafec. ad A. 1611. Verum neque tunc, neque postea, neque in hoc pacto Velaviensi eius factae contra obstationis ulla ratio habita est. 11. Tum id mirari subit, quid fuerit, quod Electori ante hoc pactum ius suffragii in Comitibus regni ratione Prussiae deponenti respublica annuere gravaretur: apud Piasecium ebron. ad A. 1632. et 1633. Quod sane eiusmodi est, ut intelligamus, Polonos secreto erga Electorem Germanosque metu, noluisse cum in regni senatum et electionis consilium admittere: non secus, atque Germani olim regem Bohemiae Vladislavum, quod idem esset Poloniae rex, anno cl. CCCC LXIX. Senatu electorum Germanicorum prohibuerunt, atque ea ex causa postero tempore reges Bohemiae quoque amiserunt ius Comitum Imperialium. 12. Quapropter Christiani Ludovici Kälcksteinii machinatio contra Velaviense pactum foeda sane fuit, quae ne ageret radices, ac malum serperet ulterius, autor intra conatum deprehensus, ac Regiomontum abductus est. Cuius mores et satum singulari scripto comprehendit quidam anno cl. Ioc LXXI. conf. Henricus Bredverus lib. 3. hist. decennal. pag. 254. 13. Non fuit angustia spatii, ut omnia haec adferamus, nisi quod addere visum est de diversis pactis et privilegiis primam Alberti Marchionis Anspacensis investituram secutus, cuiusmodi vigente adhuc priori Marchionum linea, quae in Alberto, eiusque filio Alberto Friderico, et Alberti fratribus Georgio, Casimiro ac Iohanne non diu duravit, haec fuerunt: Petricoviense anno cl. Ioc LVI. Lublinense, anno cl. Ioc LXXIX. quo lineae Electorali quoque ius est partum, et priorum marchionum familia exincta, solenni demum possessione Iohanni Sigismundo confirmatum: mox vero et praeter familiam electoris tale ius iam ante adeptam, Marchionum altera quoque linea atque adeo domus Culmbacensis et Onolsbacensis pactione Bidgostiensis cum Sigismundo III. inita obtinuerunt successionem in Prussiae ducatum, si casus caduci esset, ac deficeret linea electoralis. 14. Viget nunc est succedendi praerogativa inter duas dictas lineas, ita olim quoque constituta fuit praerogativa maioratus inter praedictos fratres, Georgium, Casimirum et Iohannem.

XXXVI. STRICTURAE AD HIST. HERFORD.

Saxonia occidua vetus inter Rhenum Visurgimque comprehensa regio, nullius ante hae imperio obnoxia, tantisper suo iure usa est, dum status nomenque mutaret, et in Francorum secundae stirpis societatem pariter atque impe-

XXXVI. STRICTURAE AD HIST. HERFORD.

imperium veniret. *Monachus Paterbornensis lib. IV. annal. de gestis Caroli M. Vitschindus Corbeiensis annal. Sax. lib. 1.*

§. II. Reges non tulit liber populus, sed proceres reipublicae societate coniunctos habuit, qui dignitate natalium, et auctoritate validi, et consiliis bellisque adhibiti, semper comitiis interfuerunt, et novis Francorum auspiciis non mulctati dignitate, sed magis proveci, ex primoribus cum populari imperio permixtis, reguli et principes ducesque facti, Regibus atque Imperatoribus, constituto pactis iure, fidem astrinxerunt. *Annales Francorum an. DCCLXXVII. DCC LXXXV. Mnachus Egelismensis vita Karoli M.*

§. III. Antistites per illum veteris Saxoniae tractum a Carolo M. primum constituti, et sacris impositi sunt, quorum antiquissimus Paterbornensis consecratione sua nobilitavit Herfordiam, in sacrae iurisdictionis fines descriptam. Etsi enim monumenta ultimarum temporum vel obscura sunt, vel in tenebris et situ iacent, tamen quaedam non leviter nos confirmant, Baduradum Paderbornae praesulem hoc munere perfunctum, illustre illud Herfordiense fanum, quod ad sacras Virgines pertinet, dedicasse. Vixit Baduradus imperante Hludovico pio, cuius auspicio et benignitate locus ille cultus, et religiosa virginum sodalitate ornatus est, famaque sanctitatis praecipue eluxit, quae invitavit homines, ut frequentiores eo ad habitandum venirent. *Auctor vitae S. Meinverci, tam fide, quam diligentia commendatissimus tradit, ecclesiam Hervordensem, a Ludovico filio Caroli Magni filio constructam, et a beato Badurado Paderbornensi Episcopo dedicatam, Cuius auctoritas tanta nobis est, ut a novitiis scriptoribus discedamus, et Christophoro Brovvero, qui vitam Meinverci edidit, per multum debere nos ultro fateamur.*

§. IV. Cum in Baduradi mentionem incidi, tum eius publicam solennemque dedicationem memoria et cogitatione complector, cui nulla diuturnitas finem allatura est, nec tam ingrata unquam futura posteritas, ut eius laudes exolescere patiarur. Floruit honore, et generis claritate Baduratus, a primo Paderbornensium Antistite Hathumaro proximus, et regnante adhuc Carolo M. successor, summam Antistitis dignitatem suscepit, at eo dudum mortuo, suas consecrandi partes peregit. *Vid. citatus Anonymus scriptor.* Illud vero meritis Hludovici pii tribuendum est, quod fanum hoc inclutum, et in Saxonia soli Corbeiae monasterio secundum, a fundamentis extruxerit, cumulateque locupletavit. Instituto, et causae serviunt publicae Hludovici iunioris Germaniae Regis tabulae, quarum fides in dubium vocari non potest. Verba plana aperta que sunt. *Is ergo (Abbas novae Corbeiae VVarinus) petiit celsitudinem nostram recordari, quod piae memoriae genitor noster Hludovicus imperator (cognomine pius) amba haec monasteria* (Cor-

(Corbeiae et Herfordiae) extrui iussit, ad normam videlicet praecipuorum in Gallia monasteriorum, novam utique Corbeiam (quae et Saxonica dicitur) ad similitudinem antiquae Corbeiae (quae Francogallica nominatur) Herfordense vero coenobium ad exemplum monasterii Sanctimonialium, in Svesfonia civitate existentium.

§. V. Ex his colligamus licet, duo esse antiquissima Saxoniae monasteria, alterum Corbeianse ad Visurgim, alterum Herfordianse ad Aae et Vehrae confluentes. Vtrumque situm est in *diocesi* Antistitis Paderbornensis, qui antiquitate omnibus veteris Saxoniae Episcopis praestat, et propterea interdum per eminentiam *Episcopus Saxonicus* appellatur. Ergo auctor Chronici Mindensis, quod Henricus Meibomius emisit, castigandus est, qui Ecclesiam *Osnaburgensem* (Osnabrugensem) *primam et primitivam Saxoniae ecclesiam* vocat, quem rationibus temporum, quas ipse suppeditat, convinco. Nam prior illa *Ecclesia* anno DCCXLII. Buriburgi fundata, et hinc Paderbornam translata vel utraqve potius coniuncta est et coaluit simul: illa autem, factente ipsomet auctore Mindensis Chronici, anno DCCLXXII. demum coepit ac instituta fuit. Nihilo verius est, quod scripsit *Anonymus*, Ecclesiam Paderbornensem ex loco Horstel, sive Heristallo ad ripam Visurgis, traductam esse ad Paduli fontem, quod Othloni auctoritate potest convelli. Quo fundamento iacto, struitur apte et componitur illa controversia, quae actibus ius praecedendi dantibus continetur. In qua mediocrem industriam posuit Iacobus Andreas Crusius, cum eam usque a capite arcessere, et accuratius conficere potuisset, *de praem. lib. II. c. 14.*

§. VI. Vnum restat, quod Badurado possit esse fraudi, cum reperiantur, qui putent, consecrationem *monasterii Herfordensis* multo serius, quam nostrae rationes ferunt, a Bisone, quarto Paderbornensium Antistite, peractam fuisse. Hac in sententia fuit *Gabriel Bucelinus*, Monachus diligens ac pereruditus, sed, quantum suspicor, monumentis destitutus, quae diuturnitate et iniuria temporum interciderunt. Is tradit, Herfordianse monasterium, sub regula ordinis D. Benedicti constitutum, coepisse *sub A. C. 880.* quod, ut scribit ille, *fundavit et dotavit Bisio, quartus Paderbornensium Pontifex. Germaniae sacrae part. II.* Quae si ita sunt, rationes aliter subduci oportet, ut plane congruant, et minime fallant. Verum Bucelino non assentior, nisi praestet narrationis suae fidem. Publica documenta poscimus, quibus fidem habeo non invitus. Vellem inspexisset monumenta a Brovero, Henschenio et Mabillonio prodita, quibus antiquior huius monasterii origo confirmatur. Albertus Cranzius nihilo certiora proferre potuit, quum fama potius, quam sua opinione ductus narravit, ex Angria illustre Virginum Collegium Hervordiam esse translatum. *Saxon. lib. II. c. 24.* Angriam haud dubie

XXXVI. STRICTURAE AD HIST. HERFORD.

dubie significat dimicilio tumuloque Vittekindi magni claram; nam Angria, qua ducatus est, latius patet, et Herfordiam cum insigni monasterio, urbe et agro comprehendit.

§. VII. Exinde sequitur, Herfordiam in *Vestphalia propria* non esse sitam, sed finibus Angriae circumscriptam, dioecesi nihilominus Vestphali Praefulis attributam fuisse. Pagus Angriae in priscis Francorum Saxonumque monumentis celebratur, qui amplus fuit et potens, multosque tractus habuit, quos Comites administrarunt. Inter eos traditur Herfordiensis Comes Caroli M. aequalis, de cuius familia nihil fere habeo, quod scribam. Illud tantum in caligine illorum temporum constat, Volderum Comitem gentis suae ultimum, levandae orbitatis remedia quaerentem, cessisse obtestationi Francorum, et pietatis declarandae causa, tradidisse Ludovico Augusto Herfordiam, ut monasterio, quod condere gestiebat, praepotentem patronum circumspiceret et compararet. Sed quo id anno extructum fuerit, non perinde licet definire, neque de consecrationis initio convenit inter scriptores. Equidem Henricus Meibomius V. C. et de historia Germanica praeclare meritis, ab anno DCCXC. Herfordiensis monasterii initium duxit. Quo pacto prima eius origo videtur altius arcessenda, ita ut cum temporibus Caroli M. coniungatur. Qui eodem anno in Francia Austrasica apud Vangiones subsistebat, et mitigatis sacrorum disciplina Saxonibus, in utraque Francia solus, sedatisque bellorum moribus, regnabat. *Annal. Francorum an. DCCXC.* Atenimvero suspectae mihi narrationes sunt, quae a temporibus Carolinis exordium capiunt, quando verae, et extra controversiam positae supersunt tabulae, in quibus Monasterii eius primordia ad Hludovici pii aevum referuntur. *Chronicon Mindense* non tantae est auctoritatis, ut contrarium evincat, maxime in ultimis Carolingorum temporibus, a quibus fuit remotissimus Chronici scriptor, et pleraque contra fidem Francorum annalium consignavit. Meibomius tamen in notis, ad Gobelinum Personam editis, gemina tradit, et chronici huius sententiam probat. Nisi quod in numero et nota annorum differentia cernitur, cum in Chronico annus foundationis DCCLXXXIX. in notis autem ad Gobelinum extantibus annus DCCXC. constituatur. Contra quam in notis ad Virechindum exaratis, in quibus scribitur annus 789. Idem vero Chronicon tradit, monasterium Herfordiense ab ritus Christiani hostibus ad vastitatem redactum, sed a Hludovico pio, anno eius imperii sexto, *instauratum fuisse.* Quod repugnat diplomati Regis Hludovici, qui Germanicus nominatur. Longe aliud significant verba, *piae memoriae genitor noster Hludovicus Imperator ambo haec monasteria (Corbeiae et Herfordiae) extrui iussit,* quibus non instauratio, sed primi conditoris opus denotatur. An vero eodem

anno

anno monasterium hoc aedificari, et consecrari coeperit, non docent rerum Saxoniarum scriptores: Illud omnino elicitur ex Francis, anno quarto decimo imperii Hludovici, id est, V. E. Dionysianae anno DCCCXXIIX, tribus fere post Corbeiae dedicationem annis, solennia dedicationis Herfordiensis peracta fuisse. Cursum addo, Hludovicum Germanicum a plerisque nominis haud apte dici secundum, quippe qui Germaniae a Francia Neustrica separatae Rex primus, Imperator Romanorum nunquam fuit.

S. IIX. Magna huius monasterii celebritas extitit, multosque ad frequentandum hunc locum adduxit, praesertim cum ei venerationem sanctitatis, et delectationem amoenitas afferret. Plurimum adiumenti habuit a liberalitate Principum, quos Hludovici pii exemplum movit, ut fructus ampliores monasterio ad victum splendoremque illustri Virginum Collegio assignarent. Nam Hludovicus Germanicus non peiori conditione esse voluit, sed pro summo in sacra amore, nova beneficia contulit, decimasque addidit et insigniores redditus, qui ex finitimis Osnabrugensi et Monasteriensi regionibus atque dioecesibus obvenirent. Concepta diplomatis verba haec leguntur. *Ad Herfordensis autem monasterii adiumentum dedit in Episcopatu Afnabruggensi (Osnabrugensi) Ecclesiam Bruginiubi cum subiectis sibi Ecclesiis, in Parochia vero Mimigernesfordensi (aliter Mimigardefordensiu, hoc est, Monasteriensi) Ecclesiam Reni cum his, quae ad eam pertinent Ecclesiis, ita sane, ut decimarum aliorumque reddituum proventiones praefatis cederent Monasteriu, id est, Corbeiensis et Herfordensis, ad quae munificentissimi Germaniae Regis donatio spectat. Praeter eos Cobbo quidam comes, genere Teckelburgius, de hoc monasterio optime meritus est, cuius soror ibi sacris virginibus praefuit, et quantum fieri potuit, ordinis commoda curavit. Cuius honori datum est, ut nihil non faceret Comes, quod ad ornandum locupletandumque monasterium pertinere iudicabat. Qua ex re detrimendum cepit Osnabrugense sacerdotium, titulo Episcopi constitutum, cui praedia cum censibus subtrahita, et Herfordiae attributa sunt Cobbonis industria, quam iuvabat occasio, cum delitesceret metu Episcopus, et magna in offensa apud Imperatorem esset. Fuit haec deinde occasio diuturni odii inter Teckelburgios (Tecklenburgios) et vicinos Osnabrugenses Episcopos contracti, qui exortis utrinque dissidiis, multa de praediis clientelisque Tekelburgiis detraxerunt. vid. Erdovinius Erdmannus in Chronico Osnaburgensium, quod Vir Celeberrimus Meibomius iunior emisit, ex quo corrigendum est librarii mendum, quod in notas ad Gobelinum conscriptas, in utraque eius editione, irrepsit, ubi pro focer legi debet soror. conf. Albertus Cranzius in metropoli lib. I. c. 40. Ambo tamen dubitant, fueritne Teckelburgius, nec ne, quod alibi licet inquiramus: in praesens sufficit, virum fuisse Nobilem, qui titulus usu exemploque*

veterum non equeſtri, ſed illuſtri loco natis tributus, et *Comitibus* adſcriptus eſt, ex quibus *Marchiones* ac *Duces* fieri et creari conſueverunt.

§. IX. Partis tot opibus, tantisque beneficiis collatis, Antiftita collegiumque Virginum lites ſaepe et certamina cum vicinis praefulis habuerunt, et regnante Arnolpho, Francorum Imperatorum ultimo, propter decimas cum Eigilmaro, Epifcopo Oſnabrugenſi, iure experiri coeperunt. Sed conſtituto iudicio, diremit controverſiam Arnolphus, ſic ut cauſa caderent Virgines, et decimas retineret Oſnabrugenſis. *Eradvynus in diſſo Chronica.* Grave quidem hoc, ſed ferendum erat, ne non a diſciplina ordinis recederent, quibus non tam opum, quam ſacrorum procuratio credita commiſſaque eſſet. Poſthac enim non damnum modo, ſed cladem monaſterio fatalem acceperunt, cum Hungari, ut tunc erant, nomini Chriſtiano infeſti, calamitoſum Germaniae bellum inferrent, atque in Saxoniam incurſione facta, late omnia vaſtarent ac diriperent, neque aedibus ſacris parcerent, et Herfordienſe fanum quoque funditus deleſent. Inſtauratum deinde ab Antiftita monaſterium, et a Meinverco Paderbornenſium Epifcopo dedicatum eſt, cum titulo *Baſilicae ad Crucem*: ab eo tempore vicini fama miraculi exciti, locum obire, et ſacris itineribus frequentare coeperunt. *V. ſcriptor vitae Meinverci p. 48. Hic Abbatiffa nomine Godeſti memoratur, quae aliis Imma dicitur. Gobelinus in Coſmodromio aetat. VI. cap. 52. et ibidem Meibomii notae.*

§. X. Nondum inter urbes numeratur Herfordia, quod verum lu- culentumque indicium eſt, ſerius conditam, et diu poſt irruptionis Hungaricae tempora, ac poſt ipſam adeo monaſterii inſtaurationem fuiſſe extructum. Etenim fines hiftoriae tranſeunt, fabulasque narrant, qui urbis initia altius repetunt, et iura imperium civile complectentia, ei a prima origine, et conditus initio vindicant, atque a Carolo M. auſplicantur. Fuit floruitque hoc monaſterium in tutela et patrocinio Imperatorum et Regum, et nullo interiecto, his paruit, horumque legibus ſtetit, cum de urbe huius nominis nihil fando auditum eſſet. Poſtea vero, quam frequentia hominum locus ille cultus eſt, crevit ſenſim et nobilitari coepit, ut privilegia urbis acciperet, muroque circundaretur. Non moramur vulgares et proleteri- os ſcriptores, qui urbem monaſterio antiquiorem iactant, vel ſtudio ducti, vel imperiti rerum Germanicarum. Ut facile ſit iudicatu, quanto in errore verſati fuerint *Philippus Knipſchildtus*, et noviffime *Antonius Fuſſenavius*, quorum alter non recte, alter non accurate et minus reverenter de hoc argumento ſcripſit.

§. XI. Plurimum ad urbis incrementa attulit metus incurſionum hoſtilium, ſtatusque Germaniae turbidus, et poſt irruptionem Hungaricam calamitoſus ac miſer, belloque Saxonico, et turbis crebro gliſcentibus dete-
rior

rior indies tristiorque. Quae rerum facie Virgines monasterio praefectae, accolae et advenae, religionis causa ventitantes, libenter admittebant, et in societatem coeuntes, privilegiis atque oppidi iure dignabantur. Nihil se- cius placebat loci situs, cum ad bene habitandum aptus, tum defensionem, quoad illa tempora ferebant, accommodatus. Hac ratione coniuncti inter se homines, communi ope se confirmarunt, viresque ad propugnationem, idoneas magis expeditasque habuerunt. Eodem enim tempore, quo oppidi initium coepit, creverunt cives et corroborati sunt, ut non comparato vicinorum auxilio, hostes repellerent, et suis se viribus tuerentur. Non temere fecerit, qui utatur auctoritate rudium lapideorum, quae hodie superant, seculumque XII. edito huius defensionis specimine, designant. Sed ego, fabulosas circumstantias, a veritate facti secernens, alia depromere argumenta possum, quae fidem dictis faciant, et satis probent, non alii, quam XII. seculo primam oppidi originem deberi. Hinc insequenti tempore magna eius dignitas aestimata est, ut regnante Friderico II. foedera cum vicinis pacisceretur, more veteris Germaniae, quo municipales interdum urbes in foederis societatem sunt receptae. Tales foederum tabulae crebro memorantur, in primis sec. XIII. annis M CC XLVI. M CC LXXVII. M CC LXXXVI. M CCC. M CCCXIII. M CCCC XXXVII. M CCCC LIX. M CCCC LXIX. quibus Hervordia cum Praesulibus et Comitibus Imperii, foedera mutuae defensionis pepigit, quae partim documentis publicis, partim Chronicis abunde confirmantur. Eo cum primis pertinet diploma foederis, anno M CC LXXXVI. inter Ottonem Ravensburgium, et, ut verba habent, *oppida veteris ac novi oppidorum Hervordiae* iniri, ubi non fit mentio *Radevici*, tertiae oppidi partis, sed duo tantum oppida, uno iure coniuncta traduntur. Huc spectat Chronicon Mindense *ad an. M CCCC LXIX.*

§. XII. Quae tametsi Antistitae, et sodalitates eius auspicio gesta sunt, aut certe geri debuerunt, tamen Vrbs potentia et opibus eo processit, ut ad libertatem niteretur. Antistitae viribus impares, pacis causa aliquandiu connivebant, et periculosos ancipitesque exitus metuebant, sed mitioribus consiliis nihil effectum est, cives ad spem libertatis sese acrius excitarent. Quaesita passim causae praesidia sunt, varia disceptantium fortuna, donec Anna Limburgia, monasterii Herfordiensis Antistita, anno M D XLVII. iure suo cederet, imperiumque urbis ex pacto in ducem Iuliaci, et Cliviae, qua Comitem Ravensburgium, transferret. Vrbs contra rationes suas edidit, quamobrem, nemine interiecto, ad Imperium pertineret. Contra pactum obtestata est, et documenta protulit, quibus *regalis civitas* appellatur, statusque libertatis *decreto* Caroli IV. et *rescriptis* Imperatorum *Friderici III.* et sequentium confirmatur. Tanto minus ab incepto desti-

XXXVI. STRICTURAE AD HIST. HERFORD.

destitit, quanto maior fiducia in tabulis imperii fuit, in quas urbs relata, possessionis titulo se fulciebat. Inter haec dissidia, multae post mutationes evenerunt, et interitus familiae acqvirentis, bellumque Germanicum, rebus his moram impedimentumque attulerunt. *Vid. Acta publica in causa exemptionis Herfordiensis quae publice extant.*

§. XIII. Postea El. Brandenburgico Comitatus Ravensburgius obtigit, qui rem in eo statu non relinquendam ratus, Herfordiam periculis molestiusque diu fatigatam, multo tandem labore sumtuque vindicavit, redactamque in obsequium, cum ditione comitatus Ravensburgii, in quam pacto, et cessione Monasterii, cui urbs originem et incrementa debet, superiori aevo venerat, denuo coniunxit. *Gesta haec sunt annis 1647. et 1652. illam obsidio, hunc deductio et obsequium urbis insignivit.* Ab hoc tempore pacis amans, sine labe Principem, cuius imperio defenditur, colit, et in fide perseverat. Demum a Gallis, Belgium, finitimumque limitem invadentibus M DC LXXIII. intercepta, nec multo post, constituta pace, reddita, nemini charitate in Principem concedit.

XXXVII. AD AENEIDOS IV. 265.
(DE KARTHAGINE.)

Qum saepe mihi in mentem venit KARTHAGINIS, tum eius tanta semper fama amplitudoque fuit, ut non modo multis fortunae bonis floreret, sed etiam omnium aetatum seculorumque monumentis celebraretur, usque eo, ut iam inde antiquitus creditum fuerit, eam regis auspiciis enituisse.

§. II. Vergilius, cui neque ingenium, neque materia scribendae Aeneidos defuit, in eam sententiam discessit olim, et praeterquam quod gravi elegantique carmine urbem illam, Romae cum floreret, potentia opibusque aemulam, ab oblivione vindicavit, a Didone quoque conditam fuisse, tradidit. Quod recte dictum sit, nec ne, multi solcite inquirunt, nec pauci dubitant: mihi in tanta ultimorum temporum caligine videtur, illud sive scribendi licentia, quam Poetae mythici sibi sumunt, sive odio in Carthaginenses scriptum fuisse. (a)

(a) *Vid. Macrobius V. Saturnal. 17. Dionysius de situ orbis a Peisiciano in Latinum conversus: Apollonius Rhodius, ad quem edendum operam contulit Iohannes Hartungus, Argonaut. 4. hanc Ataroni non causam quidem, sed occasionem fugendi dedit.*